In nomine omnipotentis Dei. Ego Sancius Dei gratia rex Navarre facio hanc cartam confirmationis et stabilitatis
vobis omnibus populatoribus meis de Nova Victoria, tam presentibus quam futuris. Placuit mihi libenti animo et sana
mente populare vos in prefata villa cui novum nomen imposui scilicet Victoria, que antea vocabatur
Gasteiz. Et dono vobis et concedo, ut in omnibus iudiciis et causis et negociis vestris illud idem forum habeatis
et omni tempore teneatis quod burgenses de Lucronio habent et possident. Excepto quod clerici et infanzones quos in vestra populatione vobis placuerit recipere, domos
in eadem populatione mansionarias vestras liberas non habeant. Et in omni vestro communi negotio vobiscum pectent. In ecclesiis etiam vestris quas mihi in ipsas capellas
retineo, episcopus non accipiat nisi quartam partem decimarum. Clerici vero in ipsis constituti tres partes decimarum et omnes oblationes ecclesiarum in pace recipiant et
possideant. Et ut plenius singula de consuetudine et foro vobis dato in memoriam retineatis, dono vobis ipsam villam que dicitur Nova Victoria, cum omnibus
terminis suis populatis et heremis quos ipse tenuit possidet vel aliquando possedit. Et cum omnibus pertinenciis suis que ei pertinent vel pertinere debent. Antiqui
vero laboratores qui antea ibi fuerant et qui in loco eis assignato ibi manere voluerint, habeant separatim medietatem hereditatum. Vos vero qui novi
estis habeatis aliam medietatem et dividatis inter vos. Et ubicumque inveneritis madera pro facere domos et ligna pro cremare accipite ea sine ulla contraria
exceptis cotis defensis in quibus non licet accipere. Boves quoque vestri et oves et bestie pascant ubicumque herbas inveneritis et non detis herbaticum si ipsa nocte ad vestros
terminos redierint. Omnes etiam hereditates patrimonii vestri quas nunc habetis vel ex hinc adquirere potueritis aut comparaveritis liberas habeatis et ingenuas
et neque pectetis pro eis morturam, neque aliquod debitum set faciatis ex eis totam vestram voluntatem. Dominus enim qui pro rege ipsam villam tenuerit nunquam in aliquo vobis forciam
faciat. Et non ponat super vos extraneum merinum neque saionem nisi illum quem vicinum habueritis. Et si merinus eius in vestras casas per forciam intraverit et aliquid inde violenter
extraxerit et ibi occisus fuerit non pectetis pro illo homicidium. Et habeatis semper alcaldem de vicinis vestris quem elegeritis. Et si bonus et fidelis non fuerit mutate
illum quando volueritis. Et non accipiat de vobis novenum neque arinzaticum set ipse qui homicidium vel calumpniam acceperit paccabit alcaldem et saionem. Si aliquis
homo occisus fuerit in villa vestra vel in terminis vestris pro eo non detis homicidium de communi vestro. Set si unus occiderit alterum et duo vicini hoc testificaverint
homicida ipse pectet ·CC·L· sol. Et alii ·CC·L· sol. pro anima regis dimittantur. Et sic de omnibus calumpniis medietatem dimitto nisi scriptum est in hoc privilegio non
quod pectare debetis. Si aliquis homo infra villam vestram traxerit ferrum exmolatum pro ferire hominem vel feminam, perdat manum dextram vel redimat illam si
dominus ville pro foro vestro ei firmare potuerit. Et ubicumque per forciam in domo hominem incluserit pectet ·XXX· solid. Et qui de domibus vestris per forciam pignora vel
aliquid extraxerit pectet ·XXX· sol. Et si unus percusserit alterum ita quod sanguis exeat pectet ·V· sol. et si sanguis non exierit pectet ·II· sol. ·VI· d. Et si qui
percussus est de hoc testes non habuerit audiat sacramentum alterius. Si aliquis percusserit mulierem coniugatam et testes legales potuerit de hoc dare malefactor pectet
·XXX· sol. Set si firmare non potuerit audiat suam iuram. Si femina percusserit virum habentem uxorem pectet ·XXX· sol. Et si acceperit illum per capillos vel per barbam
vel per genitalia redimat manum pro quanto potuerit habere amorem a domino vel sit fustigata. Et si femina percusserit alteram virum habentem vel eiecerit tocas suas et
ceperit illam per capillos pectet ·X· sol. Si aliquis invenerit hominem in suo orto vel in sua vinea per diem dampnum facientem pectet ·V· sol. Et si per noctem fuerit inventus pectet
·X· sol. Et si malefactor negaverit dominus hereditatis iurabit et habebit medietatem calumpnie et dominator ville medietatem. Si cavallus vel equa fuerit per diem
in pignore habeat anguerias ·VI· d. Et si per noctem ·XII· d. Si vero in hoc pignore moriatur cavallus ·C· sol. dentur pro illo, pro equa ·L· sol. Mulus et asinus habeat
in anguerias in die ·III· d. et in nocte ·VI· d. Si moriatur in hoc pignore ·XX· sol. Habeatis liberam licentiam comparandi oves et animalia pro carnibus et etiam roupam. Et non detis
pro inde auctorem set date vestram iuram quod comparastis ea. Set si cavallum vel equam vel mulum aut bovem aut asinum comparaveritis cum testibus de via regis vel de mercato non
detis auctorem. Set iurabitis quod comparastis hec et nescitis de quo homine et nominabitis precium. Et ipse reddet vobis precium quod dedistis et recuperabit suam bestiam.
Iurabit tamen prius quod ista bestia non vendidit nec donavit neque prestavit set quod fuit ei furtada. Vicinus vester vel extraneus qui sacramentum debuerit dare vel recipere non
iuret in alio loco nisi in ecclesia sancti Michaelis que est ad portam ville vestre. Et si volueritis illam pro amore Dei soltare non pectet calumpniam debitor sacramenti neque receptor.
Et qui fuerit fidancia de iudicio non respondeat inde de medio anno in antea. Et habeatis semper medianetum vestrum ad portam ville vestre et ibi faciatis directum quale iudicatum
fuerit omnibus hominibus qui de vobis querimoniam habuerint. Et non habeatis forum de ferro neque de aqua calida neque de batalla. Set si aliquis habuerit querimoniam de vobis et potuerit
firmare vobis cum duobus vestris vicinis pectabitis calumpniam quale iudicata fuerit. Et si non potuerit firmare audiat suam iuram et dimittat illum in pace. Et alius
homo non firmet vobis nisi qui vicinus vester fuerit. Si dominus vester habeat querimoniam de aliquo vicino vestro petat ei fidanciam. Et si ibi fidanciam dare non potuerit
ducat illum per medium ville et si nec ibi fidanciam non dederit postea ponat illum in carcere et in exitu non donet carceratico. Set si de aliquo extraneo habeat querimoniam et ipse
pro foro vestro directum non compleverit ponat illum in carcere et in exitu donet carceratico ·XIII· d. Et si unus de vobis habeat querimoniam de alio mostret ei sigillum
regis. Et si super sigillum fidanciam non dederit antequam nox transeat pectabit ·II· sol. ·VI· d. Et ubicumque vos comparaveritis hereditatem comparetis illam per cartam et habeatis inde
testes et fidanciam. Et qui fecerit molinum in sua propria hereditate vel furnum habeat illum liberum et ingenuum et non donet inde partem regi. Set si in aqua regis vel in hereditate
illum fecerit non accipiat rex in primo anno partem. Transacto primo anno ponat medietatem in missionibus et de reditu accipiat medietatem. Et non habeatis forum
de pesquisa neque de mannaria neque de saionia neque veniatis in hoste nisi ad lidem campalem. Et qui venerit ad vestram villam cum mercatura non donet lezdam nisi in die de mercato.
Set si dominus vester vel alius homo voluerit vos adducere ante regem pro aliquo iudicio habeatis vestras coteras Venteiedi usque ad Arluceam et Stellam et Bernetum et Portell.
Et per singulos annos ad festum sancti Michaelis de unaquaque domo mihi et successoribus meis ·II· sol. reddatis. Et non cum vestra bona voluntate nullum aliud servicium faciatis.
Hec quoque omnia suprascripta et alia que de foro Lucronii sunt vobis dono et confirmo et omni vestre posteritati ut habeatis illa et possideatis salva et libera nunc et per secula
salva mea fidelitate et de omni mea posteritate nunc et in perpetuum. Amen.

Ego quidem rex Sancius hanc cartam quam fieri iussi laudo et propria manu hoc signum [signum] confirmationis facio.

Facta carta in Stella mense Septembri ERA M·CC·XIX. Regnante me Dei gratia rege Sancio in Navarra et in Tutela. Sub meo
dominatione. Episcopo Petro in Pampilonensi ecclesia. Episcopo Roderico Armentiense ecclesia. Iohanne episcopo Tirasonensi. Sancio Remiri dominante Funes. Diago Lupi Alava et Ypuzcoa.
Garsia Bermudi Petralta. Sancio Remiri Maranon. Gomez Martini Buradon. Albaro Munioz Tirasona. Iordano Roda. Enneco Almoravit Sangossa.
Ego Ferrandus regis notarius eius iussione hanc cartam scripsi et hoc signum [signum] feci.

ARCHIVO DE LA M.N.Y M.L. CIUDAD DE VITORIA
AMVG